

Celebrata est & Alexandri liberalitas, quod octingenta talenta Aristoteli dederit ad inquisitionem naturæ animantium, uidelicet Quadringenta millia, & octoginta millia coronatorum. Voluntatem horum Regum & uirtutem probo, sumptus non sunt magni. quanto plus enim effudit Alexander in funus Epheftionis: Sed omitto hanc commemorationem.

Instruxit Deus gubernatores facultatibus, quarum pars aliqua conseruationi Religionis, & artium debetur, idque ita ordinauit uetustas, sed propter uarias uitæ confusiones, honesta instituta ueterum subinde mutata sunt, & mutabuntur. Interea tamen sapientes & boni Principes cum sciant pietatem Deo gratam esse, opem ferre studijs religionis & artium, non sinant prorsus deleri doctrinam uitæ necessariam, cogitent ideo se in hoc fastigium diuinitus collocatos esse, ut præcipue sint custodes rerum diuinarum, ueræ sapientiæ, iusticiæ, & pacis. Hæ res cum & intelligunt & tuentur imagines sunt dei inter homines, qui hæc summa bona uult intelligi, & coli, ut ipsum agnoscamus qualis sit, & ut nostræ mentes cum diuina quantum fieri potest congruant. Hæc te ipsum Princeps Alberte sæpe cogitare non dubito, præsertim in hac senectæ maturitate, maximeque & optare & anniti, ut ad posteros transmittatur doctrina de Deo integra, & de artibus, quæ & Ecclesiæ & uitæ necessariae sunt, qua in re ut gubernet te filius Dei, dominus noster Ihesus Christus, & te diu seruet incolumem, & tibi hæredes donet, qui et uirtute patrem referant, & ornatam à te patriam foeliciter gubernent, ueris cum gemitibus & uotis oro. Bene & foeliciter ualeat celsitudo tua. Anno CHRISTI, 1551. die 18. Iulij qui dies C. Cæsaris seculo insignis fuit exortu canisculæ in Alexandrino Horizonte, ad cuius stellæ exortum Aegyptij olim annu suum magnum accommodarunt, cum alioquin æquinoctia & solstitia certis diebus mensium nequaquam essent adfixa, sed porro uagerentur per singulos totius anni dies intra annos 1460.

Iulianos.

B